





AD TUMULUM
VIRI HUMANISSIMI
atq; Integerrimi

DN. BENEDICTI
CRAMERI,

Mercatoris ac Civis apud Servesta-
nos Primarij,

Qui inter preces & suspiria

A.d. xvii. Kal. Febr. Ao. M. DC. XXXIII,
placidè in Christo obiit

PARENTALES

Cognn. Adfinn. & Amm

συμπαιζών

EXEQUIAE.



SERVESTAE.

Typis ANDREÆ BEZELII.



I.

Exilium Themidos, Fidei, Pacisq̄ue gemen-
dum.

*Cum toto iste bonus cerneret orbe Senex,
Hab! quis in hâc, inquit, Mundi senuisse senectâ,
Vivere quis tali pergat in exilio?
Munde immunde vale! post hac mihi Patria cœlum,
Nullumq̄, è cœlis ampliùs exilium.*

Memoriæ ad finis quondam sui optimi,
atq̄; integerrimi I., apposuit

*Job. Sturmius Cancellarius
Servestanus.*

II.

Ὀνομα τοῦ χαριεντισμοῦ.

Post mercaturæ grave onus tristescq̄; labores,
Portio Cramerus fit bene-dicta poli.
Felix mercator, cui merx pietatis in orbe
Cordi est: hunc precium grande per astra
manet!

Faciebam.

*M. Christianus Becmannus, Antistes Servestæ
& ibidem Theologiæ Professor.*

I I I.

Ad piè defunctum Dominum Compatrem
BENEDICTUM CRAMERUM Sen.

N Il erat in *terris*, nil hoc sub fornice *cæli*,
 Quod poterat *sensus* detinuisse tuos.
 Non desiderium *vite*: quod longa senectus
 Imminuit, longis exsaturata moris.
 Non desiderium *Mundi*: formidine plena
 Ista domus: multæ mortis imago domus.
 Non desiderium *Sobolis*: cælestibus olim est
 Sedibus immissa, aut nil ope patris eget.
 Non desiderium *numi*: quem dives habebas:
 At vincas habuit non tamen ille manus.
 Te desiderium *vite* melioris, & ardens
 Elicuit *Mundi* te melioris amor.
 Te desiderium *Sobolis* cælestibus olim
 Sedibus acceptæ jusfit in ire viam.
 Te desiderium *gemma* fulgentis & *auro*
 Attraxit *Solyma*, carpere jusfit iter.
 Tot desiderijs superas attractus ad oras
 Ecquis in hoc imo ne ceteret *orbe* moras?

M. *VVendelinus*, G: A. R.

I V.

Sunt tria, quæ faciunt homines ex asse beatos,
 Felici Nasci, Nubere Marte, Mori.
 Hæc tria, quæis toto nihil est felicius Orbe,
 Fatorum eveniunt Lege, CRAMERE, Tibi.
 Stemmata enim, longo viguit quod tempore, natus,
 Ter thalami faustus vincula fausta subis.
 Te tandem vitæ saturum post plurima lustra
 Mors rapit in vera cognitione DEI.
 O te felicem! ex omni te parte beatum!
 Qui fruæris facie, colloquioq; DEI.
 In Genere, & Thalamo qui felix, Funere felix,
 Felix in cælo gaudia mente capis.
 In cælo, Patriâ credentium, gaudia solus,
 Ex valle hac luctus qui bene transit, habet.
 Hanc pia mens Patriam cunctis bene cogitet horis,
 Patria nulla Solo; Patria sola Polo.

D. JOANNES CRA-
 MERUS.

V.

V.

Nunc Benedicte Vale dixti bene: lapsus amicis,
Vivis apud superos, præmia magna ferens,
Sic mundo excedis subitò, melioris anhelans
Æternæ Vitæ gaudia, dante DEO.

*Adfinitatis ergò Scri-
bebat*

Andreas Bramigius, Reipub:
Cothoniensis Judex.

V I.

In Obitum

Senioris gravissimi

DN. BENEDICTI CRAMERI,
Mercatoris & Civis Primarij.

D*ulcis odor lucri dictum est commune, sed
ipsum*

*Dat sua lucra solum, dat sua lucra polus.
Lucra soli atq; sali quærit per saxa, per ignes
Institor, at quærit calica lucra pius.*

A 3

Lucra

Lucra soli pereunt momento temporis omni,
Lucra poli nullo sunt peritura die.
Lucra sali tibi sunt irritamenta malorum
Lucra poli summum dant tibi sola bonum.
Lucra soli multo sudore, labore parantur,
Lucra poli sanctus speq; fideq; tenet.
Lucra sali dat vita aut vitæ devius error,
Lucra poli mortis dant tibi fata piæ.
Sunt lucra nostra mori, veluti sacra pagina dictat,
Per mortem justus *cælica lucra* capit.
Terra lucra fugis *CRAMERE*, at *cælica* captas,
Hinc te *lucris* fugam *lucris* petamq; voco.

f.

*M. Felix Haustedius, Ecclesiæ
Aulicæ Diaconus.*

V I I.

In Obitu

*Dn. BENEDICTI CRAMERI,
Senioris, &c.*

IN pejus ruere, & retrò sublapsa referri
Ut cuncta viderat DEUS

Terr-

Terris: Consilium captavit, & omnia bello
Decrevit & peste, & fame,
Delere atq; alias terris immittere pœnas:
Eripere sed probos volens,
Ite *mei*, dixit, *Dilecti*, regna subite,
Captate Cœli gaudia,
Ne mala vos tangant, ne dira pericla fatigent
Mundo impio imminetia.
Quos inter *Senior Cramerus* ut audiit ista,
Eloquia *Summi Judicis*,
Sæva pericula adhuc restant, *mea Costa* valeto,
Valete *Liberi mei*,
Inquit, Ego cupio dissolvi, flebile mortis
Iter aditurus, flebile
Vobis, non mihi, qui in cœlestem transferior aulam
Ereptus imminentibus
Pœnis, quas noxis homines meruere nefandis.
Tu mea Domus Cave & Vale.

exed.

M. Johannes Cramerus Sil.

De vicissitudine vitæ humanæ

Parodia Od. X. lib. II. Carm. Horat.

TUtius faxis, ô homo, neque altâ
Voce cantando, neque, dum dolores

Cau-

Cautus horrescis, quatiendo ovanti
Ter pede terram.

Quisquis humanam faciem severè
Ponderat, mæstus fugit hic frementes
Gaudio, mœstus fugit insolentis
Jubila turbæ.

Fletibus largis homines sub auras
Prodeunt: largis lacrymis rigatæ
Concidunt gentes, trahiturq; vita
Merfa dolore.

Hac die rides? metuis secundâ
Alteram sortem; lacrymæ sequuntur
Jubilum: lætos animos reducit
Juppiter: idem.

Discutit. Non, si bene nunc, & olim
Sic erit: passim tenebræ comantem
Nubilant Phœbum, neque semper Alto
Intonat aura.

Ergò tu mundi hac facie dolendâ
Tristis appare, in regione Cœli
Gaudium expectans, ubi non procellæ
Sortis amaræ.

Ejusdem. &c.

VIII.

In beatum abitum & obitum

BENEDICTI CRAMERI

Senioris, & concionem in exequijs ejus habitam,

à M. Johanne Cremero.

Octostichon.

Quàm brevis & quanto vita hæc sit plena la-
bore,

Crameri fors & mors inopina docet.

Quàm rapida & quantis sit vita hæc anxia curis,

Cremeri planè concio sacra docet.

Disce hoc exemplo Crameri spernere vitam,

Et dic mortalis, vita caduca vale.

Disce pijs monitis Cremeri haud temnere mortem,

Sed dic mortalis, Mors properata veni.

deproperabat

Christoph. Fovvinckel Diacon. Ser. vest.

IX.

Scilicet extremos currens mercator ad Indos,
Quærit opes dubias per sola, perq; salum:

B

Non

Non tempestates metuit non sæva latronum,
Tela, nec insani mille pericla freti,
Dum tandem, exacto felici sidere cursu,
Prora videt tutum littus, habetq; redux.
O quàm lætus ovat! quanto cum fœnore merces
Venditat, atq; viæ præmia condit opes!
Care *Socer*, venerande *Socer*, BENEDICTE CRA-
Qui *mercatoris* nomen & omen habes: (MERE
Tu quoq; difficilis per saxa, per æquora cursus
Tædia perpessus, mille pericla viæ es:
Quippe iter ambiguum carpsti, elapsaq; Charybdi
Mox Scyllæ rabies obvia facta fuit:
Nec te nox tenuit, nec lux lassavit euntem;
Spes edulcavit tædia quæq; lucri;
Lucri sæpe licet parvi simul atque caduci;
Spes tamen evicit tædia quæq; lucri.
Nec spes tam varios terris frustrata labores;
Quin sat dives opum copia facta tibi est.
Nunc patriæ advectus fines cælestis & arva
Tuta, magis certas usq; tenebis opes.
Jamq; tenes certas, non vi, non igne ferendas,
Aetherio capiens gaudia mille sinu.

Felix mercator, merces qui congerit ævi,

Quas lucrum æternum, vita futura, manet!

M. Ernestus Wulstorpius S. A.
Scholæ Patriæ R.

I Allusio ad cognomen defuncti
 Nstitor extremos prudens excurrit ad Indos,
 Pauperiem ut vitet quæ mala sæpè docet.
 Coniuge sæpe domi, gnatis & sæpè relictis,
 Qui corda idcirco plena timoris habent.
 Tu, Cramere, poli contendis ad atria summi,
 Coniuge relictâ, post habitisq; tuis.
 Namq; ita nunc voluit cæli venerabile Numen,
 Cujus iussa sequi cogitur omnis homo.
 At, tu, quod lucrum, quænam spolia inde reportas?
 Percipis in summo gaudia summa DEO.
 Aspicias & præsens, quam miro fœdere Christus
 Sit Deus, & pariter crimine purus Homo.
 Atq; DEUM coràm trinum, jam cernis & unum,
 Illius & laudes voce sonante canis.
 Hisce saburratus donisq; bonisq; triumphas,
 Expositus nullis amplius ecce malis.
 Institor extremos prudens excurrat ad Indos,
 At multò est melius tectâ subire poli.

adornata

à

M. Martino Cramero.

Defunctus alloquitur Propinquos mœrentes.

DEplorare Patres, Fratres & sanguine jun-
 Lex Naturalis, Lex probat atq; DEI: (ctos,
 Sed modus in lacrynis, nec non meta esto que-
 Lex Naturalis, Lex jubet atq: DEI. (relis:
 Linquite ploratus igitur, mea Pectora, vestros:
 Scite quod haut obij, suaviter ast abij,
 In cœlos abij, superas revocatus ad arces,
 Est ubi vera quies; nec periturus amor.
 Linquite ploratus igitur, mea Pectora, vestros:
 Parce tuis lacrumis, Crameriana domus
 Ibitis hinc omnes! frustra est horrescere mortē,
 Cœlestem patriam, qui bene vixit, adit:
 Et satis hîc vixit, bene qui data tempora vixit,
 Quiq; bene hoc seclî flebile duxit iter.
 Molliter ô corpus clausâ requiescat in urnâ:
 Mens autem ambrosias carpat anhela dapes.

Adijciebat Serueste
 Fridericus Cremerus Sil. Pastor
 Frecklebiensis.

F I N I S.

Cl 1926

ULB Halle 3
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift

Sb.

Paul Friedrich
Buchbindereimeritor
Merseburg a. S.

VDA







704

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

ZELII.

C. XXXIII,
ijt

Spiria

Servesta-

CTI

SSIMI

M